

Sigismvndvs tertivs dei gratia, rex Poloniæ ... Quamobrem, ...



SOT // 82Aa 14/1 Ligg. Fol. F1700 Bland. / Kungl. förordningar - 1599

Tillkomstår 1598

Digitaliserad år 2016



National Library
of Sweden

SIGISMUNDVS TERTIVS DEI
GRATIA, REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE QVE, DOMINVS: Nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Careliae, Votshouiae, Ingriae Ruthenorum, Estoniae q; Liouonum, Dux.

Significamus vniuersis & singulis, cuiuscunq; status, dignitatis, praeminentiae & conditionis fuerint, qui hoc nostrum Regium diploma, visuri, audituri, vel lecturi sunt; ad nos delatas esse literas Patru nostri, Illustris Ducis Caroli, (Principis haereditarij regni Sueciae, Ducis Sudermaniae, Nericiae, Wermelandiae) praelo excussas, vulgariq; lingua Suetica, in regno nostro haereditario Sueciae, & in exteris, Latino & Germanico idiomate diuulgatas; quibus praefatus Dux se excusat Inuictissimo Imperatori, Serenissimis Regibus, & Illustrissimis Electoribus & Principibus Imperij, se omnino extra culpam esse, & causam non dedisse, quod nonnulli fideles nobis dilecti, Senatores regni Sueciae, alijq; Nobiles & subditi nostri, patria sua, regno Sueciae secesserint, siquidem nihil omnino esset, cur sibi ab eo metuerent. Quamobrem, illustris Princeps vult se illis, coram legitimo iudicio, iuri sistere, vel in regno Sueciae, vel etiam extra regnum, toti orbi Christiano suam innocentiam declarare, & aduersus omnes eorum criminationes & querelas defendere: polliceturq; illis, intra regnum nostrum haereditarium Sueciae, saluum conductum, vt, quousq; causa haec legitime fuerit examinata, ab omni impedimento, violentia, iniuria, liberi istic secure maneant; deinceps vero tuto & libere sese ad sua receptacula recipiant & commeent, (prout copiosius hac de re literis praefati Ducis continetur.) Cum autem praefati Senatores regni, caeteriq; cum ordinis eminentis, tum inferioris, subditi & seruitores nostri, qui ex Suecia recesserunt, nobis speciali iuramento & iureiurando obstricti, ideoq; Principi Carolo nulla ratione subiecti aut obligati sint, qui violenter omnem sibi iurisdictionem nostram vsurpauit: Ira quoq; & indignatio illa, quam Dux aduersus subditos nostros fouet, causa nostri suscepta sit, eo quod subditi nostri, in ea omnia, quae ad iura nostra regalia, dignitatem, authoritatemq; nostram violandam & conuellendam pertinerent, non vellent consentire: cum ea longè antea Princeps, contra suum iuramentum, voluntatem nostram, regia monita, mandata ac interdicta diminisset & violasset; subditos item nostros, alios violenter, alios subdole & fucato praetextu, quasi id in commodum & emolumentum nostrum atq; regni cederet, inuitos, vt secum consenserent, & acta eius approbarent, pertraxisset; alios, consentire nolentes, comminationibus terruerit, ac laeserit; cum nonnullis etiam ita egerit, vt de salute non essent plane securi: quod ex eo euidenter probatur, quod cum adhuc in regno paterno essent, plerosq; eorum, licet nullo iudicio conuictos, publice tamen, vt multorum criminum reos, proclamari fecerit, quemadmodum etiam (prout omnibus notum ac perspicuum,) pia memoriae, Dñi patris nostri tempore, hoc ipsum ab illo, variorum criminum confictorum insimulatione, factum est, quorum tamen ipsi, vel iure conuicti vel damnati, nunquam fuerint; literas praeterea eorum resignari & aperiri, eorumq; facultates, pacato regno, spoliari & diripi, famulosq; in vincula & carceres conijci fecit; Nonnullos etiam ex ijs, qui in Suecia remanserunt, veluti reos, captiuos domi propriae custodiae constrinxit, bona eorum repressit & detinuit. Eos autem qui ad nos, tanquam ad legitimum suum Dominum & Regem, sese contulerunt, proclamari iussit, veluti profugos, qui ob prodicionem, patriam fugere, regnisq; excedere consueuerunt: sibiq; ius vendicauit, bona eorum occupandi & diripiendi: Illos demum, vt & reliquos in regno remanentes, nullius criminis conuictos, ab officijs amouit, & dignitate priuauit, plebemq; ad assentiendum induxit ac coegit, quamquam nostri & non alterius sit muneris & officij, perquirere, cognoscere, & decernere, si quid tale comeruissent. **QVAE** cum ita sint, dicto factoq; infringere & annihilare volumus, prout hoc diplomate nostro infringimus, annihilamus, & refigimus Ducis Caroli citationem, & in regnum reuocationem, vt ab illo, qui nullam legitimam potestatem & authoritatem habuerit, datam & emissam, proindeq; nullius vigoris & illegitimam; & absoluimus liberamusq; ab ea praefatos Senatores nostros, & reliquos omnes, Comites, Barones, Nobiles & ignobiles, fideles nostros subditos, & seruitores, qui intra & extra regnum constituti, nullius criminis aut maleficij, secundum leges, & ab legitimis iudicibus conuicti & condemnati sunt. Postulamus propterea ab Inuictissimo Imperatore, Serenissimis Regibus, Illustrissimis Electoribus & Principibus Imperij, caeterisq; omnibus cuiuscunq; status, dignitatis, & conditionis fuerint, vt in hac re praefatos fideles nobis dilectos, Senatores regni Sueciae, subditos & seruitores nostros habeant excusatos. Nostris vero subditis in vniuersum omnibus, Ecclesiasticis & Secularibus, Nobilibus & ignobilibus, eminentioribus & inferioribus, nemine excepto, vigore praesentium literarum publicarum, Regia potestate & authoritate, inhihemus & interdiciamus, ne quisquam eorum, absq; mandato & permisso nostro, iudicium aliquod exercere praesumat, contra praefatos fideles nobis dilectos Senatores, subditos & seruitores nostros, neue ijs rebus se immisceat, aut in casu isto & negotio aliquid agat, quod ad eorum causam, personas, bona, famulos & subditos pertinet; Siquidem nos ipsi proposuerimus, prima occasione ea de re disponere & statuere, vt vel in exteris ad Ducis arbitrium & postulationem, vel etiam in regno Sueciae, praesentia nostra Regia legitime res haec examinetur & decernatur. In quorum fidem hasce manu nostra subscripsimus, & Regio nostro sigillo communiri fecimus. **War** sauiæ die **XII. Martij Anno M. D. XCIIIX.** Imperij nostri, in Polonia vndecimo, in Suecia quinto.

IGIEMVNDVS TERIVS DEI

IN NOMINE DOMINI AMEN

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

1598 d. 22 Martii
A. Legum. + Divi G. lib. citation
annihilatus

+ Divi Hier. Curia
citation annihilatus

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.